


N A M V R C V M
C O M I T A T V S.



Situs.

Qualitas.

Vrbes.

*Namurci
descriptio.*

Namurci Comitatus perexiguus atque angustis finibus inter Brabantiam, Hannoniā, Luceburgum & Episcopatum Leodiensem continetur. Incolas habet frequentissimos, bene moratos & fideles,

arte etiam militari probe exornatos. Aerem salubrem, temperatum; flumina piscosa, inter quæ primas obtinent Mosa & Sambra. Silvæ hic plurimæ, feris & volatilibus, in fructum pariter ac voluptatem, plenæ, quarum ceteras magnitudine longe præcellit Marlania. Planities tritici aliarumque frugum eximie fertilis. Montes, quibus regio abundat, præter utiles illas & amœniores silvas, ac scaturientes undique limpidissimarum aquarum fontes, plurimas habent ferri, quasdam etiam plumbi venas, plurimas etiam varii generis lapidum, inter quos eminet maxime subnigrum marmor, item rufum quoddam albo intermixtum, cui Iaspidi nomen est. Neque ita pridem cœperunt effodi saxa illa ad ignem idonea, quæ Lithantracas nominare possumus. Eruitur insuper copiosissime optimum genus nitri. Verum eximia illa tot aquarum & fluminum, totque nemorum & lignorum oportunitas, purgando, coquendo, & ad perfectionem conducendo, imo in chalybem aciundo, ac de loco porro in locum transfereudo ferro inserviens, & conatus simul & sumtus ita faciles reddunt, minuuntque, ut nunquam non & quærat & inveniatur; nunquam non sedulo industrieque laboretur: idque tot & tantis fornacibus, officinis ac instrumentis, præsertim in Marlania, ut versari tibi videaris in ipsis Vulcani ac Cyclopium fabricis.

Vrbes in hoc Comitatu muro cinctæ sunt quatuor: *Namurcum*, *Boyina*, *Carlomontium*, & *Valencourtium*: Pagi 182, Abbatia quamplurimæ. Reip. administratio est penes Ecclesiasticos, Nobilitatem, & urbium capita, qui status est optimatum.

Namurcum urbs est primaria, quam ob causam novus ei Episcopatus est impositus. Origo nominis satis obscura est. Auctores enim quidam graves scribunt, à se, an ex aliis, nescio, ab Naino Gentilium Deo, appellatum: eum in montis vertice, ad cuius radices sita est, habitasse, & cultum fuisse, omnibus ad eum opis auxiliique gratia concurrentibus, responsa dare consueisse: post vero Christi adventum (Materno prima hic fidei Christianæ fundamenta

Belgica.

collocante) obmutuisse. Alii hanc urbem à Romanis, tanquam inexpugnabilem rupem exstructam esse referunt. Ipsos *Novum Murum* nominasse, unde postea *Namurci*, sive ut alii volunt, *Namurræ* appellatio orta sit. Mavult maximus Lipsius cum scedis vetustioribus scribi *Namurum*, quam *Namurcum*, & originem ait liquere: dici enim nostra lingua quasi *propinquum murum*, *Na-Muur*. Sita est inter duos montes ad lævam Mosæ ripam. Ad Occidentem Sambra Namurcense oppidum alluens, id duas in partes interfecat. Mosa pertransit, exituque dein suo in eam sese regurgitat. Abest Lovanio octo milliariibus, Leodio decem, undecim Bruxella. Pulcra est & amœna, & arce, loco sublimi, conspicua. In hac præclarum est Canonicorum collegium, foundatione ac sumtibus Comitum olim institutum. Sunt & aliæ duæ in civitate ipsa Canonicorum collegiata Societates. Altera in Ecclesia D. Albano sacra, quæ Pauli quarti Pontificis maximi auctoritate, Hispaniarum rege Catholico petente, in Cathedralē est erecta, cujus primus omnium antistes designatus confirmatusque est Reverendiss. D. Antonius Habetius. Altera Canonicorum Ecclesia est B. Mariæ virgini nuncupata, idque, uti annales perhibent, D. Materni, primi Tungrorum Apostoli, auspiciis. Monasteria etiam hic aliqua sunt utriusque sexus, inter quæ principem fere locum obtinet fratrum, instituti D. Francisci, cœnobium, non modo sumtuosa & celebri structura, sed doctrina ac pietate eximiis viris celeberrimum. Multa sunt insuper in ipso Comitatu cœnobia splendida, Namurcensium Comitum olim pietate constructa, & opimis donata redditibus, inter quæ excellit illud Præmonstratensium apud Floressiam. In hac urbe sedes est Concilii Regii, à quo appellatio est ad Curiam Mechliniensem. Est & sedes Episcopi. Cives armis adfuerunt. Gallicus iis sermo, sed corruptus. Mercatores & opifices pauci. Nobilium magna turba, sed qui nothi sunt illustrium Principum, vel è nothis oriundi. Tertio milliari à Namurco dives est pagus Andennas, in quo vetustissimum Collegium Canonicarum nobilium feminarum, exstructum institutumque, à Begga filia Pipini veteris, à qua primum creduntur dictæ vestales, *Beggina*. Ex hac Begga Pipini posteriores, Carolus Martellus & Carolus Magnus originem suam traxere. Alterum porro Canonicarum nobilium monasterium, Andennensi adsimile, exstat ad Sabim flumen, juxta pagum *Monster*, altero à Namurco lapide.

Visuntur insuper, Dinantum & Namurcum

E e

inter,